



Um mala sic scelerrum potius dolente
Publica per longas insidere moras:
Pre-Cosul Senior conuulsiu coelica

JUSTA FUNEBRIA
Magnifico, Nobilissimo & Amplissimo

VIRO
DN. SIMONI
SCHULTZIO,
Reipubl. Thorunensis PræCoS. Seniori

Meritissimo,
ac Ministerii Evangelici Directori
Gravissimo,
Ipso exequiarum die 21. Junii,
Anno 1708.
Ex debito solvit

MINISTERIUM THORUNIENSE.



T H O R U N I I

Impress. Johannes Conradus Rägerus.

In tumulum
Extincto mor.
Hoc tamem haud exoptavit ma solium Coniux
Hanc non optabant pignora charta diem
Vivere dignus erat semper vox publica clamat
Et priuatus ait. Viveredignus erat!
Fulcrum etiam solidum fuit hic vixisse domusque
At si iueit fulcrum perdere nemo iubeat.

Elagen seio
r schmerzge
mster Lina
hor.

st

st

gen der ver
s Franen 30
gart.



Um mala, sic scelerum poenas poscente
Jehova,

Publica per longas invalere moras:
Præ-Consul Senior venerandus, coelica
captans

Gaudia, *Thorunium* tristâ valere jubet.
Gratulor hæc vices. Tu sed *DEUS* optime, nobis
Afflictis faveas! Almaque pax redeat!

Funus
Patroni sui vere benevoli paucis moestus
Comitatur

EPHRAIM PRÆTORIUS,
Ecclesiar. Thorunensium Senior.

Qui tum non potuit, quando tristissima circum
Multa cohors Natæ luxerat exequias,
Flebile ad illius monumentum tendere mæstus,
Cum nimis afflixit mœror acerbus eum.
Nunc charus Genitor placida cum morte recedit,
Ex ævi spatio, cernere quisque potest.
In tumulum Natæ, iam rite parasse sequelam
Extincto mortem, quod cupiebat amor.
Hoc tamen haud exoptavit mæstissima Conjux,
Hanc non optabant, pignora chara diem.
Vivere dignus erat, semper vox publica clamat
Et privatus ait. Vivere dignus erat!
Fulcrum etenim Solidum fuit hic urbisque domusque,
Ast siveit fulcrum perdere nemo lubens.

Nam

Nam semper quamvis aliena negotia centum
Per caput & circa personuere latus,
Perstitit ille tamen veluti Marpesia cautes,
Adversus cunctas mente tenace vices.
Perstitit & vegetas vires adamantius alter
In longos valuit rite locare dies.
Civibus unum Oculum, Sobolique dicaverat unum
Cresceret in similes quo urbsq; domusq; modos.
Nilus vicinæ non tot fert commoda genti,
Urbi hic quot Consul commoda fida dedit.
Mystræ Sacrorum, qui lugent fata Beati,
Patronum nequeunt fat celebrare suum.
Ast quia decessit: Sit pro solamine vobis
Lugentes, tantum Vos decorasse Virum.
Excelsam Cœli, qui nunc ascendit in Arcem,
Qua vitæ æternæ præmia Sanctus habet.

Hac debiti honoris

Ergo

*Præsidi Emerito Ministerii nostri apponere,
voluit & debuit*

MICHAEL Ringeltaub,
Ecclesiastes Neopol. Sen.

Sistite ploratus, Lugentes, tollite lessus
De terra migrat Schultzius, haud moritur
Octo annis Præ-Consul septuaginta peractis,
Ipse sature vitæ migrat ad astra Poli.
Non referam curas, exantlatosque labores,
Quos post fata etiam patria nostra colit.
Expers curarum, vacuus nunc mole laborum,
Langvida quò tumulo molliter ossa cubent.

Hac

Hâc tristi tegitur Præ-Consul Schultzius urnâ,
Virtutes prohibet gloria læta tegi.

*Ultimo honori Magnifici Præ-Consulis
scrib.*

GODOFREDUS WEISSIUS,

ad D. Mar. Ecclesiast.

DFuncti lauro redimebant tempora gentes,
Cum vellent solito condere membra solo.
Tunc Cæsar quidem quærit: mihi dicite causas,
Cur caput extincti laurea ferta tegant?
Reddidit ista Bias: Quia nunc mœrore carentes
Pressuras mundi deseruere meras:
Quodsi turba suos vitali lumine cassos
Ethnica, funerea letha recondit humo,
Qui tamen immanis Plutonis regna subibant
Protinus, & quibus est janua clausa poli;
Cur nos Christicolæ funus ploramus amici,
Qui pro loca terris jam meliora tenet,
Nos quibus est Christi promissa potentis imago,
Et datur æthereas scandere posse domos.

*Inter tot suspiria
piis meritissimi Patroni manibus gemens
debebat*

MARTINUS OLOFF,

Ecclesiast. Polon. ad D. Mar.

Occidit heu! SENIOR PRÆCONSUL THORUNIEN-
SIS,

Hinc justis nobis causa doloris adest!
Occidit heu! PATRIÆ PATER: Hic, qui vinceret Annis
Nestoris annosi Secula, dignus erat.

Prima

Prima cui Christus, Verbum illius altera Cura,
Proxima, cui Themidis Sacra fovere, fuit.
O Venerande Senex, morbo lassate diurno,
Quid Tibi jam requie gratius esse potest?
Nullum jam studium Te, nullaque Curea fatigat,
Nec lassat pariens tædia multa Labor:
Armorum strepitus requiem non turbat acerbus,
Nec Corpus functum Sors inimica premit.
O Te Felicem! coelestis gaudia Vitæ
Percipis, & Cœli celsa Theatra colis!
Omnipotens DOMINUS reliquos Proceresque, Patresque
Conservet sanos incolumesque diu?

lugens apposuit
SAMUEL Schönwald.
Ecl. Neop.

Anno, quo suspiramus:
NULLa saLVs arMIs: XerXes rVat! VnDlqVe sit PaX! 1708.
Et quo monemur:
FIDe Deo: spera: sIC bene CeDit opVs! 1708.

SI quondam licuit moestas effundere voces,
Ac nimium lacrymis ora rigare piis,
Jam demissa decet lugendo corda gravare,
Jam dare moestitiæ publica signa licet.
PRÆCONSUL noster, dum letho lumina claudit,
Corpus & exanimum terra paterna capit.
Clarus erat meritis, summa pietate nitebat
Justitiæ magnus CVLTOR & AVTOR erat.
Hunc Curatorem sensit Respublica, Templum,
Et Schola: Quid potuit promeruisse magis?
Publica præposuit privatæ commoda vitæ,
Constanti coluit pectore jussa DEI.
Illius emicuir Domini prudentia vulgo
Nam poenas verbis miscuit ille bonis

Jure

Jure VIRVM tantum moerens Ecclesia plangit;
Præsidio Dominum flet viduata Domvs.
Jure VIRI tanti mortem deplorat amicus,
Et cives cuncti, Pieridumq; cohors.
Sed cessent lacrymæ: nulli pugnare licebit
Adversus summi firma statuta DEI.
Mortuus in DOMINO, DOMINO nunc vivit in ævum;
Ad DOMINUM rediit Spiritus unde fuit.
Nec periit, coeli sed vivit in arce beatus:
Et resonum gestu pangit ovante melos.

CHRISTOPHORVS RAZKI.

Eccles. polon.

Quamvis afflictis addenda afflictio non sit;
Ut fas ac æquum est, juraque sancta vetant.
Cedere non etenim licitum cum prole parentem,
Ex uno grave sat vulnere vulnus erit.
Rebus in humanis tamen hoc non lege ligatur
Is, qui tam vitæ quam necis est Dominus.
En! quale hoc fatum Cognatio Schultzia sentit!
Nam querulos lessus tibia moesta facit.
Terræ mandari Natam dedit haud ita pridem,
Iam Pater ipse Senex contumulatur humo.
Sicque dolor, gemitus, sociatur moesta querela,
Tota Patrem dolet urbs! Major & inde dolor!
Sufficit; à Domino veniunt hæc omnia fata,
Seu bona seu mala sint, solus Is Autor erit.
Ergo clara Domus suffundere lumina rore
Desine, nam Dominus vulnera tanta facit!
Hic ferat auxilium moestis, Domuique medelam,
Addat nec Patriæ vulnera vulneribus!

Ad tumbam de Patria optime meriti

B. Dni Proconsulis studii lugens

DANIEL KOEHLER,

Ecclesiastes ad D. M.

Heu! quam flebilis, hic jubet vacare
Casus attonitos dolori acerbo,
Nostræ qui cito mentis auffert omnes
Vires, concutiens tenella corda?
Nam cum sustulimus mali molesta
Multa quæ Procerum labor levavit;
En novissima deprimit vicissim
Clades moenia nostra, Stimulosque
Non opina, novos doloris addit!
Pro-Consul, Tua, Magne mors beata
Non satis lacrymanda, nos fatigat.
Assessor Themidis bonos per annos
Qui condignus eras, Decus, Corona,
Nostræ Thorunii, potissima & pars:
Cives hac ratione plus gubernans
Ut cujusque salutis esset acris
Prima Cura Tibi; Stetit bonus, TE
Dirigente, Deo sacratus Ordo,
Cunctis felicitas fuit perennis.
Ast; O tempora nunc inauspicata!
Mortis, queis subitæ nociva tela
Hoc in funere multa damna linquunt.
Hinc Patrum Patriæ dolor; Canitque
Odas cum gemitu Cohors fidelis;
Hinc Cives, chara Pignora, ac Marita,
Effundunt lacrymas in ore acerbis.
Sed Benigne Deus Levamen adde,
Omnes firma animos, repelle luctus.
Serva Nutritios, rege & Regentes,

Hæc in Communi luctu vovens apposuit

MICHAEL Ringeltauben jun.

p. t. Adjunctus Eccl.

Inscriptio Sepulchralis.

Magnificus Præ-Consul obit, nulli arte secundus,
SCHULTIUS en Prudens, Clarus & ingenio:
Eheu! Thoruniense Decus, Generosa Propago.

Nalli unquam nocuit fraudibus atque dolis

Profuit

Profuit ast semper Templisque Scholisque benigne,
Consiliis Patriam iuvit & Æquus erat
Inclutus Hic Vir, dum finitur Vita Laborum,
Eccur tam cito nos deseris, Alme PATER?
Eccur officium tam Sanctum deseris, atro
Inficiens Cives Syrmate Tempa, Scholas?
OVIR Nestorea semper dignissime vita!
Assignata TIBI TE utcat hora necis.
Nos Manes Cineresque TUos veneramur honore
Assiduo cunctis Devenerande SENEX.
Regna ubi Ter benedicta TRIAs sine fine beatus,
Sidera ceu fulgens, in rutilante Polô.

Condolente apposuit manu
GODOFREDUS CHOLEVIUS
Eccles. Grembocinensis.

Q Uem quondam Tyrio velavit murice vestis,
Qui patulis nostris sanctaque jura dedit;
Quemque perorantem stupefactis auribus hausit
Curia, compositum flebilis urna capit.
Scilicet æternam sancita ex lege tenorem,
Neglecto rerum fœdere, fata tenent
Cum Doctis ditum densari funera, mistos
Subque umbras vegetis vidimus ire senes.
Non tamen enecto mors omnia corpore finit,
Fama sed evictos effugit acta rogos.
Vivis adhuc, nomenque Tuum, famamque loquentur
Lustra renascentem cum Pietate tuam.
Æthera jam victor superas palmamque capeffis,
Exhaustoque Deus membra labore levat.
Vos animum querulô, Satis, dissolvite luctu,
Corda nec injectâ tundite pulsa manu
Casibus exemptus dubiis, fatisque malignis
Adspicit in Cælo jam sine fine DEUM,
Ossaque constructo requiescant aggere, tellus
Passaque sit cineri non onerosa Sacro.

Condolens apposuit Patrono, Patrie
quondam Patri gravissimo
JOHANNES HELD P. Gursk,